

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XII. Qualiter vanae gloriae et tenationi resistitur.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

est. Respondit : Illud juxta me sic volo disponere, ut tu quam facillime ferre valeas. Tu me sequere, et considera quomodo ante cœlestem Patrem stem in cruce sicque perseverem. Et illa : Domine, da mihi tuam benedictionem. Tibi indesinenter benedico; boni consilii erit pœna tua. — Domine, sic omnibus succurre qui libenter pro te patiuntur.

XII. QUALITER VANÆ GLORIÆ ET TENTATIONI RESISTITUR.

QUANDO quis de se boni quidquam existimat, statim ex secreto cordis angulo exsilit vana gloria, cum quadam peccati voluptate, ut per quinque sensus diffundatur. Tunc vero debet ille mentem suam coercere, animamque continuo humilitatis timore intra se cœdere, seque sanctæ crucis signo signare, moxque ab ipso recedet tentatio, quasi nunquam adfuisset; quod ego miserrima sæpe sum experta. Nec dissimili ratione agendum est, cum malæ circumvolant cogitationes, quæ et ipsæ sanctæ crucis virtute evanescent, cum ex his tristitia in animo exsurgit.

XIII. QUOMODO IN PERSONA PEREGRINI DOMINUS VISUS EST.

EGO paupercula et indigna, memet abrenuntians, illa quæ in Deo vidi et audivi loquor. Quadam nocte vidi Dominum in similitudine cujusdam peregrini, qui quasi totam per Christianitatem circumerrasset videbatur. Tum ad ejus pedes corruens dixi : Dilecte mi peregrine, unde venis? Respondit : Ex urbe Jerusalem (significans Christianitatem), et ex meo ejectus sum hospitio. Gentiles me ignorant; Judæi me nolunt, Christiani me impugnant. Tunc oravi pro Christianitate. Postea excusare se cœpit Dominus de injuria quam ex Christianis passus fuerat, allegans, quam multa his ex initio contulisset bona, quantum pro Ecclesia laboravisset, quodque adhuc quotidie locum in